

Porro in primo casu est infusio gratiae, quae necessaria est pro remissione mortalium: in altero pariter, si fiat remissio per Sacramentum. Si vero remissio obtineatur per actus iusti, rursus fit cum augmento gratiae habitualis, quia omnis bonus actus supernaturalis iusti est meritorius et meretur augmentum gratiae, ut fert saltem probabilior sententia Theologorum.

Nota arbitrari s. Thomam peccatum veniale non esse contra Deum: quae sententia difficilis est, nec est communis Theologis. Nobis magis probatur conceptus peccati venialis, quem dedimus sub art. praeced. Ceterum tractatio huius rei spectet ad alium locum. Cf. s. Thomam in quaestione citata de Malo et II<sup>a</sup>, II<sup>a</sup>, q. XXIV; et Salas in II<sup>a</sup>, II<sup>a</sup>, Tract. XIII, in q. LXXXVIII.

In hoc art. in responsione ad 3.<sup>m</sup> quibusdam videtur s. Thomas negare peccatum habituale veniale, nam peccati venialis maculam ponit tantum in inordinata inclinatione ad temporalia. Verum arbitrari non possumus ipsum negasse reatum culpa venialis post actum peccati manere; est enim eadem ratio quoad hoc, quae in peccato mortali. Sed quia maculae rationem posuerat quoad peccatum mortale in quadam privatione, nempe gratiae, quam secum fert peccatum actuale, ita et maculam peccati venialis collocavit in ea privatione, quae ipsum consequitur, h. e. ordinis in inclinatione affectus. At quemadmodum privatio gratiae non excludit imo includit moralem perseverantiam peccati actualis, ita et haec altera privatio.

IX. In articulo 3<sup>o</sup> sequente quaestio est de pluribus mediis, quibus peccata venialia remittuntur.

Itaque docet s. Thomas per Sacramenta N. L. peccata venialia remitti. Et quidem quoad Sacramenta Baptismi et Poenitentiae nulla est difficultas. Extrema pariter Unctio ad hoc quoque est instituta, ut suo loco probatur. De Eucharistia testatur id Conc. Trid. Sess. XIII. cp. 2. eam liberare a culpis quotidianis, eiusque fructum esse remissionem peccatorum docet cn. 5. Quoad cetera Sacramenta valet ratio s. Thomae communis omnibus Sacramentis, quia semper per ea infunditur gratia, et per infusionem gratiae remittuntur peccata. Porro duo advertenda sunt: primum, non docere s. Thomam quod his mediis omnia peccata venialia remittantur, sed satis est quod aliqua. Alterum, decere ut doctrina haec tradita conferatur cum ea, quam tradit art. praeced. ad quem provocat; iam vero ibi docet per infusionem gratiae remitti peccata venialia, *quia infusio gratiae in adultis non fit sine motu liberi arbitrii in Deum et in peccatum.*

Unde colligere licet ex doctrina s. Thomae aliquam dispositionem seu motum liberi arbitrii contra peccata venialia pro remissione eorum requiri in suscipientibus Sacramenta. Et sane si ita non esset,

quotiescumque Sacramentum aliquod suscipitur, omnia venialia dimitterentur etiam ea, quibus adhuc affectus adhaeret, quod est absurdum.

X. Quaestio est quomodo omnia enumerata in hoc art. a s. Thoma conferant ad remissionem culparum venialium. Ea sunt confessio generalis (*confiteor*), tussio pectoris, oratio dominica, benedictio episcopalis, aspersio aquae benedictae, quaelibet sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, et si aliqua alia sunt huiusmodi. Quaeritur ergo an ex opere operato ad remissionem conferant, an ex opere operantis? an saltem Sacramenta conferant ex opere operato? Si quaestio fiat de mente s. Thomae in hoc loco, ita respondendum videtur.

Quoad Sacramenta, distingui possunt ea, quae per se instituta sunt ad remissionem peccatorum ab iis, quae tantum per accidens, quatenus primam gratiam aliquando conferre possunt, ea remittunt. Sermo non est de prioribus speciatim, sed de omnibus generatim sermo est, prout omnia in hoc conveniunt, quod per ea fiat infusio gratiae habitualis. Iam vero s. Thomas ait Sacramenta quaevis remittere peccata venialia, quia per infusionem gratiae remittuntur peccata venialia, ut *dictum est articulo praecedente*. Atqui articulo praeced. dixerat ideo per infusionem gratiae habitualis remitti venialia, quia infusio gratiae est simul cum motu liberi arbitrii in Deum et in peccatum. Ergo s. Thomas non soli gratiae infusae hunc effectum asserit remissionis venialium citra motum liberi arbitrii. Attamen distinguit primum modum remissionis venialium per Sacramenta a secundo per alia enumerata media, inquires; altero modo per quaedam remitti venialia *in quantum haec sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum*. Ergo, si discrimen est inter ista et priora h. e. Sacramenta, haec non remittunt venialia praecise propter hunc motum. Itaque dicendum videtur, discrimen in eo esse, quod illa *tantum* propter huiusmodi motus, quos excitant, conferant ad remissionem venialium; Sacramenta vero eos motus tanquam dispositiones supponant quidem ut operari valeant, sed vim propriam et insitam quoque habeant ad hunc effectum producendum; ideoque ea peccata venialia vi Sacramentorum ex opere operato remitti, quorum aliqua detestatio vel explicita vel implicita, per se adhuc insufficiens, praecessit, ut contingeret si sola attritio adesset, et vera esset sententia eorum qui negant eam satis esse ad remissionem venialium assequendam; vel ea remittuntur quibus affectus animi non amplius habitualiter aut saltem actualiter (ad 2.<sup>m</sup>) adhaeret; quae quidem animi dispositio non est ex se sola sufficiens ad remissionem obtinendam.

Quoad alia media est certa doctrina s. Thomae, ea conferre ad remissionem venialium, quatenus coniuncta sunt cum aliquo pio motu vel formalis detestationis vel reverentiae in Deum. S. Thomas vero non docet hos pios motus esse effectus horum mediorum ex opere operato, quatenus ea conferant ex opere operato gratiam excitantem eos motus, neque patet cur id dicere potuerit, cum frequenter desint non solum huiusmodi liberi motus, sed et indeliberati. Remissio ergo venialium per haec media, vel cum his mediis, est ex opere operantis.

Quid ergo speciale habent ista media? adverte 1) ea recenseri a pluribus inter Sacramentalia, quae ritus sunt sacri ab Ecclesia instituti, sexque enumerari hoc versiculo contenta: *Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens*, idest orationem dominicam, aspersionem aquae benedictae, comestionem panis benedicti, confessionem generalem, eleemosynam, benedictionem Episcopi aut Abbatis consecrati: quibus addi solet oratio in Ecclesia consecrata, tunsio pectoris, et unctio sacra, quae non sit Sacramentum, atque formula absolutionis deprecativa. Verum, ut monet Suarez Disp. XII. Sect. 2. perperam inter Sacramentalia ab Ecclesia instituta recensetur oratio dominica et eleemosyna, quas Deus instituit; neque ulla est institutio Ecclesiae confessionis generalis, tunsionis pectoris et ceterorum tanquam quorundam sensibilibus signorum efficientium ex opere operato remissionem venialium.

2) Probabilius est neque esse in Ecclesia hanc potestatem instituendi huiusmodi ritus sive signa sensibilia, quae sint ex opere operato efficacia remissionis venialium quoad culpam. Ratio est, quia haec est potestas prorsus supernaturalis, nullatenus Ecclesiae necessaria, quae affirmanda tantummodo foret, si ea ex revelatione constaret. Atqui nec Scriptura, nec traditio eam suadet.

His positis respondeo cum eodem Suarez: primo hunc numerum Sacramentalium quoad effectum remissionis culpae venialis non esse certa aliqua ratione aut auctoritate fundatum; ideoque posse augeri aut minui propter aliquam specialem rationem: deinde triplicem esse titulum, propter quem aliqua externa actio inter haec remedia numeretur. Primus, quia ex genere suo et modo quo fit, habet adiunctum aliquem dolorem peccatorum, ut confessio generalis, tunsio pectoris. Alter, quia adiunctam habet promissionem specialem Dei remissionis peccatorum, ut est eleemosyna et oratio dominica, in qua petitur venia peccatorum eo modo speciali cui Christus promisit remissionem: *dimittite, et dimittetur*. Tertius, quia adiunctam habet intercessionem Ecclesiae, quae orat pro iis, qui ea media adhibent, et haec intercessio Ecclesiae applicatur per ipsum usum ho-

rum mediorum, quae Ecclesia speciali benedictione consecravit, cuiusmodi est aspersione aquae benedictae; et haec proprie dicuntur Sacramentalia.

XI. In articulo IV docet s. Thomas peccatum veniale, quod coniunctum sit cum mortali, non remitti sine mortali. Lege literam s. Thomae.

XII. Quaeri tandem potest quomodo peccata venialia remittantur quoad reatum culpae, quorum in vita quis nullam poenitentiam egit. Quidam, quos Lugus Disp. IX, Sect. 11. vocat recentiores, censuerunt ea remitti a Deo extrinseca condonatione in ultimo instanti vitae; quia nullus actus post mortem potest esse meritorius vel satisfactorius ad delendum reatum culpae. Communior tamen sententia ea est, quam docet s. Thomas q. VII De Malo a. 11. inquit: « idcirco oportet dicere quod venialia remittuntur iis post hanc vitam etiam quantum ad culpam eo modo, quo remittuntur in hac vita, scilicet per actum caritatis in Deum repugnantem venialibus in hac vita commissis. Quia tamen post hanc vitam non est status merendi, ille dilectionis motus in eis tollit quidem impedimentum venialis culpae, nontamen meretur absolutionem vel diminutionem poenae sicut in hac vita. » Ratio est quia ut reatus culpae tollatur, aliqua mutatio seu resipiscentia in peccatore postulatur; secus enim manet semper Deo ius indignationis erga illum, qui eum offendit. Atqui haec resipiscentia non habetur eo quod quis moritur in statu gratiae, et frequenter ea nequit in fine vitae haberi. Quia vero in altera vita non est locus merito, consequitur resipiscentiam animae non ut est actus meritorius, sed ut est dispositio repugnans culpae, acceptari a Deo ad remissionem culpae. Quae quidem donec anima in termino sit, conferri potest, sicut ipsa potest satisfacere pro poena debita.

(q. LXXXVIII.)

XIII. In quaestione hac, quae est de reditu peccatorum per poenitentiam dimissorum, agitur de perfectione effectus poenitentiae tum virtutis tum Sacramenti. Certum est Deum propter poenitentiam remittere peccata; quaeritur utrum haec remissio sit nec ne immutabilis. Nimirum utrum propter subsequens peccatum redeat reatus priorum peccatorum iam remissorum, an non. Non est quaestio utrum redeant eadem peccata quoad actum, qui transiit, ut nempe eadem numero peccata rursus existant; hoc enim neque fit, neque fieri potest: sed quaestio est, ut ait Vasquez heic, quoad maculam peccati et reatum culpae, utrum scilicet peccata commissa antea, quae poenitentia deleta erant, iterum imputentur post peccatum, quod quis

committit post poenitentiam, ita ut non tantum sequenti peccato, sed etiam omnibus prius remissis reus teneatur, et consequentur magis peccator et maioris poenae reus, quam si antea non peccasset. Quaestio est igitur utrum non quidem actu seu re, sed *imputative* peccata redeant. Quaestio esse potest et de reatu culpa et de reatu poenae; sed, ut monet ipse Vasquez, non est reapse quaestio duplex, sed una; unus enim reatus nequit redire sine alio. Quaestio speciatim fit quoad peccata mortalia, sed idem, iuxta indolem subiecti, dicendum de peccatis venialibus.

Iam vero videntur peccata dimissa propter subsequens peccatum redire. Nam. Psal. LXXVII, 8. dicitur: Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum; et 3.<sup>o</sup> Reg. XVII, 18. Quid mihi et tibi vir Dei? ingressus es ad me ut rememorarentur peccata mea et interficeres filium meum? et Psal. CVIII, 14; In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini, et peccatum matris eius non deleatur. Porro si dicitur Deus peccata dimittere cum eorum obliviscitur, dicendus est ea rursus imputare, cum eadem in memoriam revocat. Idem suadetur ex parabola servi, qui noluit misericordiam facere cum conservo suo, quique proinde iussus est redere debitum iam dimissum Matth. XVIII, 23. seqq.

Idem et Patres videntur docere, ut Augustinus Serm. LXXXIII. c. 6. « dicit illi Deus, dimitte et dimittuntur tibi, si ego prior dimisi, dimitte vel postea; nam, si non dimiseris, revocabo te et quidquid tibi dimiseram, replicabo tibi; non enim mentitur veritas, non fallit aut fallitur Christus, qui adiecit dicens: sic et vobis faciet Pater vester, qui est in caelis ». Pariter Chrysostomus hom. LXII in Matth. in hunc locum; « Quoniam beneficiis melior fieri non potuisti, reliquum est ut poena torquearis, et quamvis charismata haec et dona irrevocabilia sint, tamen tantum malignitas valuit, ut hanc quoque legem superaverit: quid igitur deterius memoria peccatorum ac ultione, quae tot tantaque divina dona evertere posse videatur? » Et Gregorius M. Dialog. L. IV, c. ult. « Ex quibus dictis constat quia si hoc, quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, et illud rursus a nobis exigitur, quod nobis iam per poenitentiam dimissum fuisse gaudebamus. » Perperam vero citatur Ambrosius in Epist. ad Ephes. illi enim commentarii non sunt s. Doctoris.

Et sane quamvis infusio gratiae sanctificantis sit Dei donum et opus misericordiae, tamen revocat Deus hoc donum propter subsequens peccatum; cur ergo non poterit revocare condonationem factam peccati?

Imo quoniam peccatum remittitur formaliter infusa gratia, vide-

tur quod hac desinente, illius remissio, quae effectus formalis gratiae erat, debeat cessare.

Inter veteres theologos exstiterunt quidam, quos citat s. Thomas heic, qui docuerunt peccata dimissa simpliciter redire propter subsequens peccatum; et ne videretur opus Dei miserentis per opus subsequens hominis peccantis irritari, quidam dixerunt: « Deum non remittere peccata poenitenti postmodum peccaturo secundum praescientiam, sed solum secundum praesentem iustitiam; praescit enim se pro his peccatis eum aeternaliter puniturum, et tamen per gratiam facit eum praesentialiter iustum ». Scilicet remissio esset in hac hypothese non absoluta sed conditionata. Alii non semper voluere redire peccata dimissa, sed solum propter aliquod determinatum subsequens peccatum, h. e. propter unum ex his quatuor peccatis, nempe apostasiam a fide, odium fratrum, contemptum confessionis, et displicentiam poenitentiae habitae. Cf. Magistrum in IV. D. 22. ibique s. Bonaventuram; atque Vasquez in I. II. D. 268. Nihilominus certa est sententia, quam propugnamus sequenti Thesi.

#### THESIS XVIII.

*Ita remittuntur a Deo peccata ut nullo pacto propter peccatum subsequens redeat reatus culpa et poenae praecedentium peccatorum, quae per gratiam dimissa fuerant.*

I. Agimus primo de reatu culpa. Supponendum est, quod iam demonstravimus in Tract. De Gratia, peccata, cum remittuntur a Deo, *vere remitti*, saltem pro eo instanti, quo fit remissio, ita ut facta condonatione, peccatum sive reatus culpa tollatur, deleaturque ab homine, qui idcirco non sit amplius in statu peccati, sed sit intrinsece iustus et sanctus. Id in hac quaestione supponitur, in qua quaeritur *de reatu culpa*; non enim rediret, si prius non desiisset. Probandum ergo restat remissionem peccatorum, cum fit, fieri absolute, h. e. citra ullam conditionem actus futuri ex parte eius, cui remissio fit; et proinde manere immutabiliter eam remissionem, etsi deinceps homo rursus peccet. Quod Prosper aperte docuit in resp. 2.<sup>a</sup> ad obiect. Gallorum: « Qui recedit a Christo... non in id quod remissum est recidit, nec in originali peccato damnabitur. »

Probatur argumento s. Thomae heic. Si causa remissionis absolute ponitur, et effectus ponitur absolute, atqui causa remissionis ponitur absolute: ergo. Porro si remissio absolute ponitur, eo ipso non est conditionata: esset autem conditionata, si ita remitteretur